



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

XIV. Abdicatus patrem liberans.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

in quibus nec ira, nec natura cessavit. Tolerabilis vis est, ubi ad consuetudinem mali, causa necessitatis emergit. Præmium <sup>1</sup> consequitur, qui ausus est & confirmare meum venenum, & suum remedium polliceri. Ultio quidem illa, non quæstio. Tyrannus <sup>2</sup> venenum quæsit? sed vindicavit. <sup>3</sup> O quam facile gerunt persuasiones, inlecebramque in contrarium transferunt. Ut virus serpebat interius, & artus omnes longa pœnarum dilatione languebant, veneficium jam tyrannus agnoverat, quia instantem interitum sentiebat: festinans medicum flagitabat. Unde venenum tam celeriter præparasti? Dicis forte: Major mihi dandi veneni fiebat occasio, quæ ex ipsius voluntate veniebat. Notum <sup>4</sup> hoc genus <sup>5</sup> mortis est, ut ex sensu priore, ad cuncta cautior sollicitudo procedat. Nonne jam apud tyrannum cuncta suspecta præsens formido faciebat? Medicum tota arce clamabat, quasi ego de tyrannicidio non negassem. In arce enecavimus: deseruit me venenum.

## XIV.

*Abdicatus patrem liberans.*

ADDICTUS FOENERATORI SERVIAT. ABDICATUS DE BONIS PATERNIS NIHIL HABEAT. LIBERTORUM BONA AD PATRONOS PERTINEANT. Quidam ex duobus liberis <sup>6</sup> alterum abdicavit, addictum postea creditori patrem redemit & manumisit: quo mortuo ambigunt de bonis abdicatus jure patroni, & filius, qui in familia permanit.

## PRO ABDICATO.

**E**Quidem nec avarum me fuisse, nec impium docui. Nam & redemi patrem & manumisi. Abdicatus es, inquit. En quem putes doluisse casum meum, filius dicit beneficio

<sup>1</sup> Consequitur.] Malim, consequatur. Pith.

<sup>2</sup> Venenum quæsit: sed vindicavit.] Aut scribendum: Tyrannus venenum non quæsit, sed vindicavit. Aut, Tyrannus venenum quæsit? Se vindicavit. Quasi esset, immo se vindicavit. Gronovius.

<sup>3</sup> O quam facile gerunt persuasiones.] Forte, facile errant. Idem.

<sup>4</sup> Hoc genus mortis est.] Conjiciebam: Notum hoc genus timoris est. Idem.

<sup>5</sup> Mortis est.] Malim, moris. Pith.

<sup>6</sup> Alterum abdicavit, addictum.] Leget, abdicavit, abdicatus addictum. Gronov.

beneficio parentis se esse nutritum, ejus indulgentia libertatem civitatemque sortitum. At hæc ipsa patronus liberto suo contulit, quæ filius à parente percepit. <sup>1</sup> Perinde beneficium hæreditatis filio datur, patrono redditur. Addictus nunquam sperat libertatem: negligenter enim & contumaciter servit, qui servire non novit. Quid mihi abdicatorum objicies legem? Ego si quasi filius experirer, merito ut abdicatus expellerer. Utor patroni actione, non filii. Quid enim? si non esset manumissus, peculium servi mei peteres? Specta defuncti conditionem, quæ fuit mortis tempore, non quæ aliquando præcessit. Siftitur venalis pater, <sup>2</sup> non festinat hic bonus filius? non denique metuit, ne illum redimat abdicatus? filius incolumi dignitate non potuit explicare, quantum abdicatus explicuit. Quotiens se pater pœnitere confessus est? quotiens de hujus simplicitate conquestus? utinam licuisset addicto exercere jus patrum: esset hic abdicatus, hic filius. Bona ipsa meo sunt labore quæsitæ, unde senex testari noluit, ne mihi quasi suum relinqueret, quod meum sciret. Tu illud prius consumpsisti patrimonium, illud amplum, <sup>3</sup> illud quod vobis parabatur hæredibus: ego postulo tenue libertinum, quod vix sufficit ipsius funeri. Hic enim quando sepeliet jacentem, qui noluit redimere venalem?

## X V.

*Ter fortis desertor.*

DESERTOR CAPITE PUNIATUR. TER VIR FORTIS MILITIA VACET. PRÆMIUM VICTOR IMPERATOR ACCIPIAT. Ter virum fortem imperator coëgit ad bellum, coactus deseruit: imperator præmio impunitatem desertoris petit: desertor contradicit.

## PRO DESERTORE.

**A**equo animo imperator ferat, si quem virum fortem senserat obsequentem, desertorem videat contumacem?

<sup>1</sup> Proinde beneficium hæreditatis filio datur, patrono redditur. Pith. | vel delendæ interrogationis notæ. Idem.  
<sup>2</sup> Non festinat.] Vel legendum, Num, | <sup>3</sup> Illud quod vobis parabatur.] Lege: quod duobus parabatur hæredibus. Gron.  
 VV. 3